

mē huc applicatum , dicens : an credis , quando scriptura ait , quod Deus in nube se manifestaverit , aut quod in tabernaculo , & in templo habitaverit , quod ipse Deus naturam nubis , tabernaculi & templi assumserit ? Sed facili negotio patet malitiosa sensus corruptio , quia nunquam DEUS ita dicitur in nube se manifestasse , ut etiam dicere liceat : Deus nubes factus est , sicut clare extat Joh. I , 14 , & ille factus est caro . Econtrario genuinus scrutator , depositis omnibus præceptis opinionibus , Deo , qui superabundanter potest facere supra ea , quæ petimus aut intelligimus , Epb. III , 20 , semet tradit , spretisque omnibus rationis placitis , omnipotenti Scripturæ autori pro tanti thesauri concessione submislas agit gratias , ac non nisi cum devotis precibus ad lectio- nem semet accingit ; quia nimirum nemo rectè rem perpendens negare poterit , S. literas claras ac perspicuas dicendas esse , non absolute , sed ordinatè : ut nempe , suppositâ illuminatione Spiritus Sancti , absque qua etiam ingeniosissimi & doctissimi homines in hoc mundo Evangelium de Filio DEI — propriis viribus percipere , intelligere ; credere & verum esse statuere nequeunt , I. Cor. II. 14. seq. , ut verbis utar F. C. p. 657: non excludantur piæ preces , ut in omnibus necessitatibus nostris , ita in hac maxime , ubi de animæ salute agitur , meritò adhibendæ ; cum Pater cœlestis potentibus non possit Spiritum S. , Luc. XI. 13 , & sapientiam , Jac. I. 5 , nempe coelitus venientem , c. 3 , 15 , denegare : unde etiam Paulus ardenter precatur , ut Deus Domini nostri Jesu Christi , Pa- ter ille gloriae , det Epesios Spiritum sapientie ac revelationis , per agnitionem ipsius , illuminatis oculis mentis ipsorum , Epb. I , 16 , 17. 18.

§. 4. Sequitur jam III. modus ipse scrutinium debitum instituendi . Facilè intelligitur , quod non sufficiat ex intentione Christi , alienis oculis per omnia fidere , & receptam expositionem , procul omni meditatione , sequi ; cum hoc non esset scrutari , verum serviliter credere . Indeque non potest melius , quam in ipsis fontibus , sive lingua Scripturæ S. originali scrutinium illud institui ; quia non potest non ex illis fontibus a-

qva